

arum, aspernati, si forte in Abrabæ senu, expectandæ Resurrexerit ionis solatium capere. Sed in hoc, inquit, Christus Inferos adiit, ne no adiremus; ceterum, quod discrimen Ethnicorum & Christianorum, si ea ree mortuis idem? Tum Tertullianus mordicus tuetur, nulli petere Cælum, & dumtaxat cum transactione Mundi reseratum iri Regna Cælorum. Hæc ille a Montano acceperat, jam in ejus Hæresin delapsus. Catholicos deinde rursus objicientes inducit. Immo, inquit, dormitio nostra in Paradiso, quo jam tunc Patriarchæ & Prophetæ, appendices Dominicæ Resurrectionis ab Inferis migraverint. Animadvertite heic, quanta ventustate nitatur sententia putantium, Patriarchas & Prophetas, quorum Corpora in Resurrectione Domini & ipsa surrexere, ut scribit S. Matth. xxvii. 52. una cum ipso Domino in Cælum conscendisse. Inani argumento utitur Tertullianus jam Montanista ad ejusmodi opinionem evertendam, inquit: Et quomodo Johanni in spiritu Paradisi regio revelata, quæ subjicitur Altari nullas alias Animas apud se, præter Martyrum, ostendit? Quomodo Perpetua fortissima Martyr, sub die Passionis, in revelatione Paradisi solos illic Commartyres suos vidit; nisi quia nullis romphæa (idest gladius versatilis, quo in coelestem Paradisum aditus vetatur, ad instar terrestris) Paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non in Adam? An Animas tantummodo Martyrum in Cælorum Curia aspexerit S. Jo: jam perpendimus cap. IV. Ariolatur heic Tertullianus, & suo solum fretus cerebro insuper negat Patriarcharum Animabus ingressum in Cælum, quod decesserint in Adam, & non in Christo: nam & illas Christi meritis, ipso Christo ascendente in Cælum, jam in Vitam æternam translatas, Orthodoxorum sententia est. Subdit postea: Agnosce itaque differentiam Ethnicæ & Fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, tota Paradisi clavis tuus sanguis est. Ad hæc in Lib. de Resurrect. capi 43. Nemo, ait, peregrinatus a Corpore, Statim immoratur penes Dominum, nisi ex Martyrii prærogativa, Paradiso scilicet, non Inferis, deversurus. Quid Paradisi nomine designet heic Tertullianus, nequaquam ego decernam. Paradisum ille in Apologet. cap. xlvii. appellat Locum Divinæ Amœnitatis, recipiendis Sanctorum Spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zone a notitia orbis communis segregatum. Satis in præsentia sit, evidenter agnosci, ejus Paradisum ab Inferis exclusum fuisse, atque illuc statim emigrare Martyrum Animas, immo ibi eas esse penes Dominum. His positis peto, quei Burnctus (post amandatas omnes & Justorum, & Injustorum Animas in ignotum sibi locum, ubi reclusas dormire illas cogit, longe a Deo, in expectatione supremi Judicii) nunc audeat testem pro se adhibere Tertullianum, qui Improborum Animas illico in Inferorum tormenta conjicit, & saltem Martyrum in Paradisum, atque in conspectum & visionem Domini perducit? Præterea animadvertere, ab acutissimo Afro tamquam rem certam arripi, quod & nos supra ostendimus, scilicet melius esse peregrinari a Corpore, & presentes esse ad Dominum,